

† NECROLOGIA

† Adm. R. P. Aloysius Costenoble (1866-1929).

(Prov. Belg.)

Dies 13 Novembris 1929, primitus ad consecrandam novam ecclesiam nostram Gandavensem stabilitus, proh dolor, communitati dies luctus evasit, et perendie novum templum apertum est ad celebrandum funus primi domus Rectoris, Adm. R. P. Costenoble. Qui confrater desideratissimus ob vitam suam exemplarem et eximium in Congregationem amorem certe ex illorum est numero, qui iuxta S. Regulae praescripta (n. 1443) in Analectis locum peculiarem merentur.

Aloysius Costenoble natus est in loco Handzaeme (dioec. Brugensis) festo Nativitatis B. M. V. anni 1866, secundus ex duodecim liberis, quorum tres se Domini servitio totos dedicarunt. Anno 1884 Congregationem ingressus, d. 4 Oct. 1885 vota nuncupavit et d. 3 Oct. 1893 ordinationem sacerdotalem recepit.

Nominatus Socius Magistri novitiorum, post aliquot menses Rollarium in secundum novitiatum missus est ibique

duos fere annos qua missionarius remansit. Praedilectae vitae apostolicae a. 1898 valedicere iussus est, ut Pulchriugi per biennium cathedram S. Scripturae occuparet.

Vix Maio 1901 ad vitam missionarii redierat, cum Aprili 1902 renuntiatus est Praefectus studentatus minoris seu iuvenatus Trudonopoli tum constituti, et ex eo tempore fere continuo usque ad mortem aliis praepositus erat. Anno 1904 R̄mus P. Rector Maior ei novitios choristas Provinciae formandos commisit. Altissima quam mente conceperat vitae religiosae idea, Regulae cultus, animi indoles fortis acrisque, denique corporis complexio robusta eum moderatorem sat severum effecerunt, immo quandoque aequo severiorem, et haud semel subditorum animos ab eo abalienarunt, praesertim si quando postea tamquam Rector agendi modum in moderando novitiatu adoptatum continuabat. Novitii vero, videntes Magistrum affectu vere paterno se afflictos consolantem et nihil prorsus ab aliis exigentem, quin ipse ad unguem perfecisset, eum non modo venerabantur, sed etiam amabant.



P. Costenoble, postquam per quinquennium gravissimo Magistri officio functus est, per vices tribus Provinciae collegiis Rector perficitur: Trudonopoli (1909), Pulchriugi (1915), Antverpiae (1921).

Mense Aprili 1924 magistratu religioso liberatus est, at per breve tempus. Anno enim insequenti, cum constitutum esset Gandavi novam sedem condere, hoc opus R. P. Costenoble actuosissimo et Congregationis amantissimo demandatum est, qui in hoc arduo negotio vires suas vere profudit. Etenim per complures menses fere cotidie eum videres ex domo *Jette*, ubi residebat, Gandavum iter suscipientem, ut laboribus invigilaret, inter opifices sine intermissione commorans, omnia perlustrans, etiam minimas res curans. Accidit aliquoties ut ibidem in tugurio tumultuario pernoctaret, quo facilius furta praecaveret. Vix autem pars fabricae aedicata erat, cum media hieme fixum domicilium ibi elegit.

Postridie kal. Ian. 1928 designatus est novi collegii Gandavensis Rector, et die dominico, 18 Martii, provisorium sacellum cultui divino aperatum. Quo cum inde ab initio frequens populus conveniret, P. Rector ad innumerias alias curas et occupationes etiam sacrum ministerium huius oratorii publici adiunxit. His addo haud paucos exercitiorum spiritualium cursus.

Eiusmodi operae excessus ac nutrimenti debiti neglectus viro, antea valetudine ferrea praedito, gravem morbum contraxerunt. Stomacho omnem respuente cibum, pylorus seu stomachi exitus d. 4 Febr. 1929 chirurgi cultro subiectus est, at mediocri cum successu. Carissimi confratris vita per nonnullos menses prorogata erat, ipse vero vomitibus continuis labrabat. Nihilosecius P. Costenoble, e nosocomio reversus, vitam regularem et assuetos labores fere ex integro iterum suscepit. Cum ei persuasissimum esset malum curari non posse, omnia moderationis consilia pervicaciter negligebat, quidquid supererat vitae viriumque, id totum gloriae Dei et eius operi absolvendo dedicaturus.

Inde ex d. 23 Sept. collegii valetudinarium petere coactus est, ibique d. 26 extreman unctionem pie recepit, neque tamen viaticum, ob vomitus periculum, id quod magnum ei attulit dolorem. Mirum! Exacto biduo s. communionem denuo recipere potuit, et inde ex d. 2 Oct. etiam Missam celebrare, quantis cum molestiis, Deus scit! Prodigii instar erat, quod celebrationem usque ad d. 2 Nov. continuabat, quandoquidem inde ex 23 Sept. nullum prorsus alimentum sumebat.

Toto ultimae infirmitatis tempore nulla ex eius ore querimonia audiebatur. Serenitate singulari loquebatur de morte appropinquate et de funere suo ac cotidie cum architecto de laboribus perficiendis. Ad confratres vero, quibus familiarius utebatur, se gaudere ait, quod totum se Congregationi et animabus devovisset, quod brevi moriturus esset, quod etiamtum mentem satis liberam ad orandum haberet. Cuidam confratri,

qui ad aegrotantis animum confirmandum pulchram coronam ipsi paratam meminerat, haec verba respondit notatu dignissima: « De hac re, mi Pater, non cogito, sed solum de Dei voluntate! »

Feria IV, 13 Nov. 1929, R. P. Costenoble in pace Christi quievit, nobis relinquens memoriam et exempla vitae, quam unus ex pristinis eius Superioribus his paucis verbis optime complexus est: « Redemptorista erat antiquo more et disciplina, inimicus mundi, mortificatus, Deo singulariter unitus. »